

ab eoque decimas accepit, Genes. cit. atqui hæc non conveniant nisi vero homini. Etenim Principatus, ac regimen visibilis, ac terrenæ civitatis ad solos homines spectat. Et juxta Apost. Hebr. 5. Omnis Sacerdos, seu Pontifex ex hominibus assumptus, id est progenitus, pro hominibus constituitur in iis, que sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis; qui condolare possit eis, qui ignorant, & errant, &c. ergo.

Prob. 3. Ex communi sensu Patrum apud Hieronymum Ep. citata: Revoluti, inquit, veterum libros... veris me ad Hippolytum, Irenæum, Eusebium Cæsariensem, & Emissenum, Apollinarianum quoque nostrum, & Eustathium... & deprehendi, horum omnium opiniones deversis argumentibus, ac diverticulis ad unum compitum pervenisse, ut dicerent Melchisedech hominem fuisse Chananeum.

Dico 2. Probabilis est, Melchisedech non fuisse Semum filium Noë, sed hominem genere Chananeum. Prob. 1. Ex laudato Testimonio Hieronymi. 2. Melchisedech nullam habet in Scriptura genealogiam, quo sensu dixit Apost. Hebr. 7. fuisse sine patre, sine matre, sine genealogia; atqui Sem habet in Scriptura genealogiam per omnes majores, posterosque descriptam: ergo. Neque dicas, non habere quidem genealogiam sub nomine Melchisedech, sed habere sub nomine Semi, non enim hic est questio de nomine, sed de homine ipso: hujus autem hominis, si fuerit Sem, & genus, & genealogia in Scripturis traduntur. Nemo sane dixerit, genealogiam Israël non haberi in Scriptura ex eo, quod sub nomine Jacob tantum tradatur. Insuper Apostolus ibid. v. 6. dicit, generationem Melchisedech non numerari inter Levitarum majores, & tamen certum est Levitas originem directè ducere a Semo per Jacob, Isaac, Abraham, & Arphaxad. Terra Chanaan obigit huius Chami: non est ergo probabile, Sem in ea terra obtinuisse Regnum. 4. Non est etiam verisimile, Abrahamum in ea terra peregrinum quævisse ab extraneis presidium vitæ, in commorationis, & sepulture, si in ea habuisset Regem Salem suæ gentis Auctorem.

Obj. contra 1. Conclusionem. 1. Melchisedech Hebr. 7 dicitur sine patre, sine matre, sine genealogia; quod non convenit homini, sed soli spiritui. 2. Tempore Abraham nullus erat in terra Chanaan fidelium coetus, alioquin Abraham inter eos potius habitasset, quam inter Ethnicos. Non est autem Rex absque subditis, nec Sacerdos absque populo fideli. 3. David Ps. 109. dicit de Christo: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: Et Apost. Hebr. 7. de Melchisedech, quod nunc Sacerdos in æternum: Sacerdotium autem æternum soli Christo competit. 4. Apostolus ibid. dicit, Melchisedechum neque initium, neque finem vitæ habere; quod iterum soli Deo competit,

5. Apost. ibid. facit Melchisedechum præstantiorem Abrahamo, at tunc inter mortales nullus erat Abrahamo præstantior. 6. Idem Apostolus ibid. c. 5. loquens de Melchisedech, De quo, inquit nobis grandis sermo, & interpretabilis ad dicendum; quibus verbis ineffabilem ejus divinitatem indicat: ergo. R. ad 1. jam dictum est, Melchisedech asseri sine patre, & matre; Non quod ambobus illis carnerit, inquit Epiphanius hæresi 55. sed quod nulla sit illorum in divinis Litteris expressa mentio. Ad 2. Ex conjecturis nihil evinci potest contra expressa Scripturæ testimonia. Fuisse autem Melchisedechum Regem Salem, & Sacerdotem Dei altissimi, expressè testantur Moyses, & Paulus. An populus, cui imperabat Melchisedech, fuerit fidelis, tacente Scriptura, incertum est, sed nihil vetat Melchisedech, cum familia sua verum Deum coluisse, & illi suo suorumque nomine obtulisse sacrificia, sicut obtulerunt Abel, Henoch, Job inter Infideles Et quamvis fuerit populus fidelis, id latere potuit Abrahamum in terra peregrina hospitem. Adde, quod tunc factus inierat cum habitatoribus Mambre, ideoque accessu non erat, ut aliò migraret.

Instant. Melchisedech non est nomen proprium, sed appellativum: ergo. Prob. Ant. Apostolus illud interpretatur Regem justitiam: ergo. R. N. Ant. Ad Probant. N. Consequ. Nihil enim prohibet, quominus nomen proprium mysticè exponatur. Sic Angelus Matth. 1. v. 21. exponit nomen Jesu, quod est proprium, Quia salvum faciet populum suum.

Ad 3. Melchisedech dicitur Sacerdos in æternum, & ejus Sacerdotium æternum, non in se; sed in eo, cujus erat figura, scilicet Christo, & ejus Sacerdotio. Ad 4. Melchisedech dicitur non habuisse initium dierum, neque finem vitæ, quia neque ejus nativitas, neque mors memorantur a Moysse, ut Christi typum exhiberet, qui qua Deus nec initium dierum, nec finem vitæ habet. Ad 5. Melchisedech erat Abrahamo præstantior, non solum regia potestate, sed etiam Sacerdotii dignitate, & typo. Abraham enim erat homo privatus in Chanaanæ peregrinus, suæque familie tantum Sacerdos. At Melchisedech regia potestate in suam gentem dominabatur; eratque, juxta Canonem Missæ, & Auctorem (Hæc q. 31. art. 2.) Summus Sacerdos, munia sacerdotalia publice exercens, & quod præcipuum est gerens typum Sacerdotii Christi, & Sacrificii nostri. Ad 6. hæc verba Apostoli, Ininterpretabilis sermo, juxta aliquos, referenda sunt ad Christum; aut, si ad Melchisedech, non ad ipsum absolute, sed ut Christi Sacerdotium, & Sacrificium præfigurabat. Juxta alios, dicit Apostolus Ininterpretabilem sermonem de Melchisedech, non ob ineffabilem ejus majestatem, sed quia, ut dicit ibid. Apostolus, Hæbræi, quos alloquebatur, erant facti imbecilles ad audiendum.

TRACTATUS DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ

Div. Thom. a Quæst. 84. usque ad 15. Supp.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ

DE PŒNITENTIA

EX CONCILIIIS, FLORENTINO, ET TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini pro Instructione Armenorum (Sub Eugenio IV. anno 1439. S. Thom. opusc. 5.)

Canones Concilii Tridentini de Pœnitentia (Sess. 14. 25. Novembris anno 1551. sub Julio III.)

Quartum Sacramentum est Pœnitentia; cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. 1. Quarum prima est cordis contritio; ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio; ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integralitèr. Tertia est satisfactio pro peccatis, secundum arbitrium Sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, & eleemosynam. Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: Ego absolvo, &c. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, habens auctoritatem absolventi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Effectus hujus Sacramenti est absolutio a peccatis.

I. Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœniteciam non esse verè, & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino institutum; anathema sit. II. Si quis, Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint; atque ideo Pœnitentiam non recetè secundam post naufragium tabulum appellari; anathema sit. III. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum S. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt; non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorsit autem, contra institutionem hujus Sacramenti.

menti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema sit. IV. Si quis negaverit, ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in Pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incensus conscientiæ, agnitio peccati, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutionem, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.

V. Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demùm illum esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium; anathema sit.

VI. Si quis negaverit, Confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse Jure divino; aut dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum; anathema sit.

VII. Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse Jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demùm, non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam, a pijs obolendam; aut ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta Concilii Laterani Constitutionem, semel in anno; & ob id quadragesimæ esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ; anathema sit.

IX. Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis

non esse actum judiciale, sed nudum ministerium pronuntiantium, & declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum; aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri Confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit; anathema sit.

X. Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis, sed omnibus, & singulis Christi fidelibus esse dictum: Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata, & in Cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta, & in Cælo; & quorum remisistis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt; quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta verò per spontaneam confessionem; anathema sit.

XI. Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam poenitentiam; atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis verè absolvat; anathema sit.

XII. Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo; satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisficisse; anathema sit.

XIII. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo indicatis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque spontè susceptis, ut jejunium, orationibus, eleemosiis, vel alijs etiam pietatis operibus; atque ideo optimam Pœnitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.

XIV. Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.

XV. Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi; & fictionem esse quod, virtute clavium sublata poena æterna; poena temporalis plerumque exolvenda remaneat; anathema sit.

DISSERTATIO I. DE PŒNITENTIA SECUNDUM QUOD EST SACRAMENTUM.

D. Thom. Quæst. 84.

Pœnitere, si nominis Etymologia spectetur, est quasi poenam tenere, seu teneri poena ejus, quod commissum est. Secundum verò nominis impositionem sumitur, vel pro virtute inclinante hominem ad reparandam injuriam Deo factam per peccatum, aut pro hujus virtutis actibus, vel pro Sacramento novæ Legis, quo remittuntur peccata post Baptismum commissa. Et quamvis ordine generationis prior sit Pœnitentia ut virtus, quam Pœnitentia ut Sacramentum, cum actus interior exteriorem præcedat, & Pœnitentia virtus esset necessaria, etiam non esset Sacramentum; quia tamen actus hujus virtutis sunt pars Sacramenti; imò non sit virtus pro hoc statu novæ Legis, nisi includat votum Sacramenti; ideo cum Auctore hunc Tractatum incipimus a Pœnitentiam, ut est Sacramentum.

Variis nominibus insignitur. (Hæc q. 84. art. 6. a.) Dicitur ab Hieronymo in c. 13. Isai. & a Trid. sess. 6. Can. 29. & sess. 14. cap. 2. Secunda post naufragium tabula respectu Baptismi, qui habetur ut integra navis, quatenus per eum omnia peccata quoad culpam & poenam simpliciter & integre remittuntur. Dicitur Manuum impositio a quadam exteriori caremonia, quæ olim observabatur, & quæ nunc etiam aliquatenus observatur, dum Sacerdos profert absolutionem manum elevatam & extensam habet verus pœnitentem. Dicitur Baptismus laboriosus, propter dolorem & rigorem satisfactionis: Mysterium reconciliantis, propter remissionem peccatorum, quam confert. Apud Græcos dicitur Exomologesis, id est latine, Confessio, & Metæta, id est latine, Resipiscencia; scilicet secundum Etymologiam nominis; secundum etiam nominis impositionem assumuntur hæc voces à Græcis, non ad significandum solum Theol. Billuart Paris Lectia.

Confessionem, aut solam resipiscenciam, ut volunt Hæretici sed ad significandum id totum, quod importat Sacramentum.

ARTICULUS I.

Utrum Pœnitentia sit Sacramentum?

§. I. Errores circa existentiam Sacramenti Pœnitentiæ.

Montanistas, seu Cataphryges dictos a Phrygia Montani, patria, seu Pepusianos a vico, quem habitabat, circa ann. 173. & Novatianos sic dictos a Novato Presbytero Carthaginensi, & Novatiano Antipapa circa ann. 254. negasse Sacramentum Pœnitentiæ, tradunt plerumque Scholastici cum Bellarmino: 1. Ex S. Hieron. Ep. 27. ad Marcellam, ubi de Montano & Novato scribit: Ab iis errantibus manum non porrigi, præcipitari facientes in Barathrum, ne levantur, ad omne penè delictum observari fores Ecclesiæ. 2. Ex Philastro hæres. 28. & ex Epiphani. hæresi 59. ubi scribit, Novatum affirmasse eum, qui post Baptismum delinqueret, nullum posse consequi veniam. 3. Ex S. Ambrosio l. 1. de Pœnitentia c. 1. ubi ait, Novatianos, Stoicorum quodam more, omnia peccata paribus aestimasse mensuris, & aquè eum, qui gallum, ut aiunt gallinaceum, atque illum, qui patrem suffocaverit, in perpetuum caelestibus abdicandum Mysteriis. 4. Ex Concilio Trid. sess. 14. cap. 1. dicente, nulla facta distinctione, aut exceptione. Novatianos, remittendi potestatem olim negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam Hæreticos explosit, atque condemnavit.

Gaspar Juvenium cum quibusdam recentioribus contendit e contra, neque Montanistas, neque Novatianos unquam absolute negasse Sacramentum Poenitentiae; sed in hoc tantum errasse, quod dicerent, peccata non quidem omnia, sed quaedam graviora per Ecclesiam potestatem non posse remitti. Id autem de Montanistis probat ex Tertulliano, qui libr. de pudicitia, quem scripsit post suam ad Montanistas defectionem cap. 2. distinguens peccata contra proximum, & contra Deum, dicit: *Mundentur delicta, quae quis in fratrem, non in Deum, admisit.* Et ibid. iterum distinguens inter peccata contra Deum: *Haec, inquit, dividimus in duos exitus; alia erunt remissibilia, alia irremissibilia.* Et c. 9. assignans peccata irremissibilia: *Sunt, inquit, graviora, & exitiosa, quae veniam non capiunt, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia, utique mecha, & fornicatio, & si qua alia violatio Templi Dei.* Peccata autem remissibilia vocat ibid. *Quotidianae incurisionis, ut irasci inique, manus mittere, maledicere, temere jurare, fidem pacti destruere, verecundia, aut necessitate mentiri.* Et addit: *Si nulla sit venia istorum, nemini salus competit.* De Novatianis probat ex S. Ambrosio l. 1. de Poenitentia c. dicente: *Sed aiunt, Novatiani, se, exceptis gravioribus criminibus relaxare veniam levioribus.* a. Ex Socrate l. 4. c. 23.

Hic 2. sententia quantum ad Montanistas posset admitti propter expressa Tertulliani testimonia, neque contradicit Patribus laudatis pro 1. sententia. Neque enim Philastrius, neque Epiphanius, neque Concilium Trid. loquuntur de Montanistis, sed de solis Novatianis. Hieronymus autem non dicit, Montanistas ad omne delictum, sed ad omne *pene delictum obviare fores Ecclesiae*, per quod innuit ipsos agnoscere aliqua per Ecclesiam remissibilia. Posset tamen etiam dici, Tertullianum temperasse errorem Montani, ut jam dicam de Novatianis. Quantum ad Novatianos; non putamus fas nobis dicere cum Juvenio, laudatos Patres Novatianorum mentem, & systema nequaquam esse assecutos; sed ad conciliandam utramque sententiam dicimus, primos Novatianismi Auctores denegasse Ecclesiae potestatem remittendi illum peccatum; eorum vero Discipulos hoc durius dogma emoluisse, & agnovisse in Ecclesiae potestatem remittendi leviora peccata, non tamen graviora. Ita in terminis docet S. Ambrosius l. 1. citato de Poenit. c. 2. ubi de Novatianis dicit: *Sed aiunt se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus.* Non hoc quidem Auctor vestri erroris Novatianus ait, qui nemini dandam Poenitentiam putavit... In eo igitur Patrem vestrum propterea damnatis sententia; qui distinctionem peccatorum factis, quae solvenda a vobis putatis, & quae sine remedio esse arbitramini.

Observandum vero, tam Montanistas, quam Novatianos, negantes Ecclesiam posse remittere, sive omnia, sive graviora peccata, admisisse omnia posse a Deo remitti poenitentiam agentibus. Constat de Montanistis ex Tertul. l. cit. de pudic. c. 3. & 19. de Novatianis ex S. Ambrosio l. 1. cit. de Poenit. c. 2. & ex Socrate l. 4. Hist. c. 18. Valdenses, Wiclefistas, & Hussitas Poenitentiam non expunxisse ex albo Sacramentorum, sed tantum errasse in hoc, quod improbis Sacerdotibus potestatem absolvendi, & alia Sacramenta administrandi denegarent, conveniunt modo eruditi cum doctissimo Bossuetio l. 11. Hist. Variat. n. 104. & 165.

Calvinistae omnes cum Calvino rejiciunt Sacramentum Poenitentiae; voluntque nullum aliud esse in Ecclesia remedium peccatorum post Baptismum commissorum, quam ipsum Baptismum in memoriam revocatum cum certa fide, seu fiducia remissionis peccatorum. Ita etiam plures Lutherani. Qui vero profiterentur Confessionem Augustanam, videntur admittere Sacramentum Poenitentiae distinctum a Baptismo; legitur enim in ejus Apologia: *Verè igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cena Domini, Absolutio, quae est Sacramentum Poenitentiae.* At illud labefactant, dum dicunt art. 11. dicere Confessionis, non esse necessariam peccatorum enumerationem. Idem dicendum de iis, qui nutantur parvo Catechismo Lutheri, in quo etiam videtur admitti Sacramentum Poenitentiae. Vide Bossuetio Hist. Variat. l. 3. n. 47. & 48.

Quantum ad Lutherum ipsum, varius, & inconstans hac in re fuit. Sed quidquid dixerit, aut dicant modo Lutherani: quamdiu haerebunt capitali suo dogmati de justificatione ex fide per justitiam Christi imputatam, non possunt agnoscere Poenitentiam pro vero Sacramento collativo gratiae, neque habere absolutionem pro actu judiciali remittente peccata, sed tantum pro aliqua declaratione extrinseca excitante ad fidem remissionis peccatorum, qua sola contendunt peccatorem justificari per imputationem justitiae Christi, ut diximus de justificatione.

Itaque contra hos omnes Heterodoxos tria sunt nobis praestanda. 1. Esse in Ecclesia potestatem remittendi omnia peccata post Baptismum commissi. Poenitentiam, quae in Eccle-

sia agitur, esse veram, & proprie dictum Sacramentum. 3. Esse Sacramentum distinctum a Baptismo, ejusve memoria. Unde sit

§. II. Dogmata Catholica de existentia Sacramenti Poenitentiae asseruntur.

Dico 1. Est in Ecclesia potestas remittendi omnia peccata post Baptismum commissi, etiam graviora; ita ut nullum sit in hac vita irremissibile. Prob. 1. Dissertissimis Christi verbis. Matth. 16. dicit Petro: *Tibi dabo claves Regni Caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Caelis.* Matth. 18. dicit omnibus Apostolis: *Quodcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Caelo: & quodcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Caelo.* Et adhuc aperte Joann. 20. Sicut, inquit, Apostolis, misi me Pater, & ego misit vos. Haec cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittantur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hic nulla distinctio inter peccata gravia, & levia: nulla exceptio apponitur: *Quodcumque solveritis: Quorum remiseritis peccata.* Deus, inquit, Ambrosius, l. 1. de Poenit. c. 2. distinctionem non facit, qui misericordiam suam promittit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.

Neque dici potest, Christum hanc potestatem dedisse Apostolis tantum, & non aliis: alioquin dicendum foret etiam potestatem baptizandi dedisse Apostolis tantum, & non aliis. Ita arguebat S. Pacianus Ep. 1. contra Novatian. Quia ergo Christus Ecclesiam suam instituit, non ad solum tempus Apostolorum, sed ad finem usque saeculorum duraturam; quae concessit Apostolis pro illius regimine, & administratione, concessit concessisse eorum successoribus. Neque etiam dici potest, hac verba intelligenda esse de peccatis per Baptismum remittendis: 1. Quia jam diu antea Christus contulerat Apostolis potestatem baptizandi, & ipsi quoque jam plures baptizaverant. Aliud ergo promittitur ipsis Matth. 16, & 18. Et confertur Joann. 20. 2. Si hac verba restringantur ad baptismum, cum iterari non possit, sola peccata praecedentia Baptismum erunt remissibilia; quae autem sequuntur, nulla, sive graviora, sive etiam leviora, erunt per Ecclesiam remissibilia, quod plane evitavit systema Montanistarum, & Novatianorum. 3. Ut arguit Ambrosius l. 1. de Poenit. cap. 7. Ecclesia relaxat per Baptismum omnia peccata, quae praecesserunt; quidni relaxat omnia peccata, quae secuta sunt? *Unum in utroque est Ministerium, in utroque operatur Ministerium gratiae, & Dei nomen.* Merito itaque Trid. sess. 14. cap. 1. de verbis Christi Joann. 20. dicit: *Quo insigni facto, & verbis tam perspicue potestatem remittendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.*

Prob. 2. Traditione 1. Apostolus usus est potestate a Christo concessa remittendi peccata etiam graviora in incestuoso Corinthio, dicens se illi post peractam poenitentiam condonasse in nomine, & persona Christi: *Nam, & ego, inquit, quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* 2. Cor. 2. 2. Statim, ac Montanistae errorem suum propalarunt, contra eos insurrexerunt omnes per orbem Ecclesiae, ut refert Eusebius l. 5. Hist. c. 16. 18. & 19. Similiter nascentes Novatianos statim proscripserunt Romae 60. Episcopi, quorum decreto acquieverunt omnes per orbem Episcopi, ex eodem Enseb. l. 6. esp. 44. ex Ep. Synodica inter Cyprianicas 54. & ex aliis. Eos ex professio scriptis impugnavit S. Ambrosius, S. Pacianus, & alii. 3. Traditionem hanc asserit unanimes Patrum consensus; ut dicit Tridentinum citatum, enumerare longum foret, sed quorum plures laudabuntur in sequentibus. Unus nunc audiat Aug. l. de Agone Christiano c. 31. dicens de Novatianis: *Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt, & volunt credere dadas Ecclesiae claves Regni Caelorum, ipsi eas de manibus amiserunt.*

Dico 2. (Hic q. 84. art. 1. o.) Poenitentia, quae in Ecclesia agitur, est verum, & proprie dictum Sacramentum. Est de fide decisa in Conc. Trid. sess. 14. Canon. 1. Require in capite Tractatus. Prob. 1. (Ibid.) ratione Theologica. Sacramentum est signum sensibile a Christo permanentè institutum, significativum, & effectivum gratiae; atqui talis est poenitentia, quae in Ecclesia agitur: ergo. Prob. Min. 1. Est signum sensibile, tam ex parte poenitentis confessionem dolorosam exhibentis, quam ex parte Sacerdotis exterius sen-

tentiam proferentis; sicut enim Juxta non posset proferre poenitentiam, nisi poenitens accusaret sua peccata; sic poenitens non posset scire se esse ligatum aut solutum, si Sacerdos id exterius non significaret. 2. Est signum a Christo institutum Matth. 16. 18. & Joann. 20. ut patet ex 1. Conclusionem. 3. Permanentè institutum; patet iterum ex 1. Conclusionem. 4. Significativum & collativum gratiae, quia remissio peccatorum non fit sine collatione gratiae: ergo.

Prob. Traditione. Omnes Ecclesiae, tam Orientales, quam Occidentales, semper agnoverunt & agnoscunt Poenitentiam, quae in Ecclesia agitur, esse verum & proprie dictum Sacramentum. Patet ex omnibus Ritualibus novis & antiquis, & ex unanimes consensione utriusque Ecclesiae Graecae & Latinae; nec potest assignari primus, qui hoc Sacramentum in Ecclesiam invexit: ergo certò tenendum est, esse verum Sacramentum a Christo per Apostolos ad nos derivatum. Confirm. Lutherus ipse l. de civit. Babilon. & in parvo Catechismo recenset Poenitentiam inter Sacramenta, & in Confessione Augustana art. 11. legitur, quòd *Absolutio privata in Ecclesia retinenda sit.* Item in ejusdem Confessionis Apologia.

Dico 3. Poenitentia est Sacramentum distinctum a Baptismo, ejusve memoria. Ita definit Trid. sess. 14. Can. 2. Require in capite Tractatus. Prob. 1. Ex patribus, qui Poenitentiam & Baptismum ut duo Sacramenta omnino distincta agnoscunt. Chrysostomus l. 3. de Sacerdotio: *Non solum, inquit, Sacerdotes regenerant, sed etiam condonandorum peccatorum obtinent potestatem.* Ambrosius l. 1. de Poenit. c. 7. *Quid interest utrum per poenitentiam, an per lavacrum hoc jus (remittendi peccata) sibi datum vindicent Sacerdotes? Unum in utroque Ministerium est, in utroque operatur Ministerium virtus & Dei nomen.* Cyrillus Alexandr. l. 12. in Joann. c. 56. *Duobus modis Dei spiritus pleni vel afflati homines peccata remittunt ac retinent, vel cum dignos admittunt ad Baptismum, ac indignos excludunt; vel cum filios Ecclesiae peccantes corrigunt, ac poenitentibus ignoscunt.* Aug. Ep. 23. ad Bonif. docet, parvulum regenerari per Baptismum. Si vero adultus gratiam amittat, Tunc, inquit, *propria incipiet habere peccata, quae non regeneratione auferantur, sed alia sanatione curentur.* Ep. 108. ad Seleucianum: *Agunt homines ante Baptismum poenitentiam; ita tamen ut etiam baptizentur... agunt etiam poenitentiam, si post Baptismum ita peccaverunt, ut excommunicati, & postea reconciliari mereantur.* Insuper juxta Aug. l. 1. de Baptis. c. 16. Minister Baptismi est omnis homo, etiam Laicus & Paganus, & juxta eundem l. 2. de Civ. cap. 9. peccata solvantur, *Per quos Ecclesia gubernatur, & quibus Judicium datum est, de quo legitur, Quae ligaveritis in terra, &c.* Denique Aug. passim contra Donatistas docet, Baptismum non esse repetendum; Poenitentiam vero baptizatis esse iterandam, docet Ep. ad Seleucianum, & Ep. 54. ad Macedonium, alios quae depreptomus est caput In tantum de Pace d. 3. Alios Patres lege apud Belarm. l. 1. de Poenit. c. 13.

Prob. 2. cum Concil. Trid. sess. 14. c. 2. Subjectum, Minister, materia, forma, & effectus Poenitentiae sunt distincta a subjecto, Ministro, materia, forma, & effectu Baptismi: ergo sunt distincta Sacramenta. Prob. Ant. Subjectum Baptismi est quilibet homo, Poenitentiae solus homo baptizatus. Minister Baptismi quilibet homo, poenitentiae solus Sacerdos ut Juxta. Materia Baptismi est aqua, & forma; *Ego te baptizo;* materia Poenitentiae sunt actus poenitentis; forma verba absolutionis, quae profert Sacerdos. Baptismus delet omnia peccata, tam originale, quam actualia, tam quoad culpam, quam quoad omnem poenam; Poenitentia delet solum actualia post Baptismum commissi quoad culpam, & non quoad totam poenam. Baptismus confert gratiam regenerativam; Poenitentia resuscitativam, seu reconciliativam, siveque distinctam, si non materialiter, saltè formaliter: ergo.

Prob. 3. (Ibid. in arg. s. c.) Non debuit minus provideri de remedio pro peccatis Baptizatorum, ne in desperationem incidere, quam pro peccatis Infidelium, Unde Act. 8. Petrus dicit Simoni baptizato: *Poenitentiam age ab hac nequitia tua;* atqui pro peccatis infidelium institutum est in remedium Sacramentum Biotismi: ergo debuit etiam institui Sacramentum pro peccatis Baptizatorum. Subsumo, & atqui istud Sacramentum est necessarium distinctum a Baptismo: ergo. Prob. Subsumptum. Peccata Baptizatorum non possunt remitti per iterationem Baptismi, quia non est iterabile, ut fatentur ipsi Haeretici; neque per memoriam Baptismi, 1. Quia memoria Baptismi non est quid externum & sensibile, nec consequenter Sacramentum. 2. Quia nullibi in Scripturis assignatur memoria Baptismi pro remedio peccatorum, aut dicant ubi Haeretici, qui tantoperè in Scripturis gloriantur, & in iis solis fundatur ergo.

Prob. 4. Ab inconvenientibus. Si Poenitentia non distinctingeretur a Baptismo, ejusve memoria, sequeretur, 1. Sacerdotes non habere potestatem retinendi peccata saltè post Baptismum commissi, contra expressa Christi verba: non est enim in potestate Sacerdotis efficere, quòd baptizati non sint baptizati, aut Baptismi suscepti non recordentur. Sequeretur 2. lapsos post Baptismum facillime obtinere veniam peccatorum, quam lapsos ante Baptismum; facillius est enim remitti Baptismi, quam illum suscipere; absurdum est autem, Deum facillius condonare iis, qui post agnitam veritatem ipsum offendunt, quam iis, qui saepe ex ignorantia peccaverunt.

§. III. Solvuntur objectiones Montanistarum & Novatianorum contra 1. Conclusionem.

Ante Solutionem objectionum observandum est, quod jam indicavi, Montanistas & Novatianos, denegantes Ecclesiae potestatem remittendi graviora peccata, non negasse ea esse a Deo remissibilia. Ex qua observatione patet, pleraque eorum argumenta nimium probare, & contra ipsos posse retorqueri. Desumunt autem sua argumenta ex veteri & novo Testamento, & ex Patribus.

Obj. 1. Ex veteri Testam. 1. Ecclesiasticus c. 21. dicit *Quasi romphaea bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non est sanitas.* 2. Amos c. 1. Deus dicit: *Super tribus sceleribus & super quatuor non convertam eum.* 3. 1. Reg. 2. Heli incropan filios suos ait: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit; quis orabit pro eo?* 4. 2. Machab. 9. de Antiocho legitur: *Orabat autem hic sceleratus Dominum, à quo non erat misericordiam consecutus.* Et de Esau dicit Apost. Hebr. 12. *Non enim invenit poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam:* ergo R. 1. In his omnibus testibus non agi de Ecclesia, sed de Deo, sicutque iis probari Deo deesse potestatem & voluntatem dimittendi quaedam crimina; quod non admittunt objicientes.

R. 2. Ad singula. Ad 1. sensus est, peccatum mortale non posse sanari viribus humanis, bene tamen auxiliante Dei gratia. Unde paulò superius dixerat, *De pristinis deprecare, ut sibi dimittantur.* Ad 2. quartum peccatum secundum Hieron. est impenitentia finalis: secundum alios; sensus est, quòd multiplicata peccata compellant Deum ad vindictam. Ad 3. 1. Sensus litteralis est: *Si vos Sacerdotes, qui pro alio Deum per Sacrificia placatis, ipsum Deum offenditis polluendo vestra rapacitate & incontinentia Sacrificia, & ab eis homines retrahendo, quis pro vobis orabit, & offerret Sacrificia?* 2. Respondet Ambrosius l. 1. de Poenitentia c. 8. his verbis, *Quis orabit pro eo?* querit, non excludit, qui in hac causa orare possit. Sicut, cum dicitur Ps. 14. *Quis habitabit in Tabernaculo tuo?* Et Ps. 24. *Quis ascendet in montem Domini?* Quia, quòd majora sunt peccata, majora quaerenda sunt suffragia; & d. facillius est placare iudicem, quando ipsemet injuria afficitur, quam si alicui alteri esset illata. Denique Scriptura refert tantum verba Heli; quibus fidei pondus tribuere non est necesse. Ad 4. (Hic q. 86. art. 1. ad 1.) neque Antiochi, neque Esau vera fuit poenitentia. Dolebat enim Antiochus de culpa praeterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur, ut patet ex textu. Similiter Esau non dolebat de culpa, sed de amissa primogenitura, neque deponabat odium in fratrem; dicebat enim: *Venient dies lucis Patri meae, & occidam Jacob fratrem meum.* Alium insuper sensum patiuntur verba Apostoli, scilicet poenitentiam referri ad Isaac, & non ad Esau, ita ut sensus sit, Esau non potuisse invenire in Isaac poenitentiam, id est, retractationem benedictionis, quam dederat Jacob. Sic enim habet Apostolus: *Postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit locum poenitentiae, &c.*

Obj. 2. Ex novo Testamento: 1. Matth. 12. dicitur: *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiae non remittetur.* Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra spiritum S. non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro. 2. 1. Joann. 5. *Qui vult fratrem suum peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis 3. Heb. 6. *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, & gustaverunt etiam donum caeleste, & participes facti sunt Spiritibus S. gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque saeculi venturi, & prolapsi sunt; rursum renovari ad poenitentiam, rursum crucifigentes sibi membra ipsorum filium Dei 4. ibi c. 10. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinqui pro peccatis hostia.* ergo R. 1. Ut*

